


Glauber, Johann Rudolph. Novum lumen chymicum. Hoc est, Cujusdam recens inventi & mundo nondum unquam patefacti secreti ardui revelatio, qua mundo cæco clarum atque inexstinguibile lumen ante oculos collocatur & quasi palpabiliter demonstratur, quod per universum terrarum orbem æque in frigidis ac in calidis regionibus passim aurum probum inveniri atque utiliter elici possit, ita ut cunctis illis locis, ubi arena & lapides reperiuntur, ne pedem quidem uspiam ponere queas, ubi non tantum aurum, sed vera etiam materia lapidis philosophorum subministretur. In honorem Dei atque millium aliquot afflictorum levamen ac solamen conscripta atque in publicum emissa a Johan. Rudolph. Glaubero



N O V U M (3) LUMENCHYMICUM.

Hoc est,

*Cujusdam recens inventi & Mundo nondum
unquam patefacti Secreti ardui Revelatio,*

Q V A

Mundo cæco clarum atque inexstinguibile Lumen
ante oculos collocatur & quasi palpabiliter demonstratur,
quod per universum terrarum orbem æque in frigidis ac in
calidis regionibus passim Aurum probum inveniri atque
utiliter elici possit, ita ut in cunctis illis locis, ubi arena
& lapides reperiuntur, ne pedem quidem uspiam po-
nere queas, ubi non tantum Aurum, sed
vera etiam Materia Lapidis Philoso-
phorum subministretur.

IN HONOREM DEI

*Atque Millium aliquot afflictorum levamen ac sola-
men conscripta atque in publicum emissa*


A

JOHAN. RUDOLPH. GLAUBERO.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM JANSONIUM
à Waesberge, & ELISÆUM
WEYERSTRAET. 1664.



B E N E V O L E L E C T O R,

NUllus dubito, quin hunc Libellum (simulatque in eundem luci editum fratres Ignorantiae pariter atque invidi libellorum famosorum fabri oculos conjecerint) ipsi pro suo ingenio Diabolico sugillaturi, Veritatem calumniaturi & pro mendacio traducturi sint. Quod quidem nihil novi cuipiam videatur, quippe qui idem iterum atque iterum antehac factitarunt. Enimvero Satanas cum suis satellitibus nihil aliud querit quam generi humano nocere, vel eidem adimere data à Dei favore. Nolint itaque prudentiores esse tam leviter flexibiles, ut ab istiusmodi tenebrionibus impiis ex Veritatis orbita seducantur in errorum tesqua, sed opus est ut quæ perscripta sunt, antea exacte expendant & perquirant, eademne sint Naturalia veritatisque consentanea, necne. Et novæ enim Inventiones, quæ nondum unquam innotuerunt, sub initium non raro vel prudentissimo cuique non modo

A 2

pere-

peregrina, sed etiam omninò impossibilia videntur. Quod si quis rem accuratiore mentis trutina examinet, Possibilitas demum offenditur & comprehenditur, maximè si rationes probæ ad confirmationem rei in medium afferuntur.

Quum itaque mecum constituerim, hîc tales res perscribere & ad cognitionem Mundi adducere, de qualibus nemo hætenus unquam tractavit; illæ quidem intuitu primo, ut mihi persuadeo, plerisque videbuntur impossibiles præstiti: Veruntamen ego conabor eximere omnes omninò scrupulos ex animis vel non credentium vel addubitantium, tam per rationes efficaces quàm per demonstrationes palpabiles, usque adeò ut vel quantâvis laborans imperitiâ Luminis Naturæ in Veritatis Inventionem perducî queat. Hîc namque neminem de mortalibus excipimus præter eos qui ex Satana instinctu atque ingenita indole Diabolica Veritatem agnitam cognitamque abnegant, confutant atque oppugnant. Caterum hos suo olim tempore Vindieta divina ad talia supplicia qualia meruerunt, rapiet. Quod si ego adversus istiusmodi hominum Diabolicorum mendacia libellosque famosos ad verbum refutandos insurgerem, facerem quidem, quod in
pro-

*proclivi esset, sed forsitan dies brevis vite
meæ omnes ad id negotii non sufficerent, ne-
que conatus mei quicquam proficerent. Dia-
bolus quippe naturam suam malignam pro-
pterea nullus ita immutaret, ut indolem boni
Angeli indueret, sed potius pristinum natu-
ræ suæ ductum more catulorum lupinorum se-
queretur, qui in dies magis magisque ovibus
devorandis inhiant. Quocirca omnium optimè
agit, qui Vindictam Deo committit, Diabo-
lumque cum suis invidis Spiritibus mendaci-
bus suo ipsorum furori fremebundo permittit,
quippe quales ulterius nocere nequeunt quàm
quousque ipsis Deus indulget atque concedit.
Enimverò si illi cooptati in locum virgæ sunt
ad castigandos pios, quotusquisque contra il-
lam quicquam moliri ausit? Deus ipse tan-
quam pater justissimus idemque piiissimus tan-
dem aliquando virgam cremandam confra-
cturus atque in ignem abjecturus est. Vt au-
tem ego ad propositum meum redeam, jam
inaudita Dei magnalia facere nota aggre-
diar, quod nimirum per totum terrarum or-
bem non minus in frigidis quàm in calidis re-
gionibus, ubi saltem arena & lapides dantur,
habeatur, unde bonum Aurum utiliter extra-
hi possit. Quia ne vestigium quidem pedis
aspiciam*

ussiam figi potest, ubi non existat *Aurum*.
NB. Inde tamen excipias *Lapides calcis*,
quippe qui soli vel nunquam, vel rarò quicquam *Auri* in se continent. Continent alioquin *Aurum* omnes *petræ* ex lapillis arenariis, omnes *silices*, cujuscunque sint coloris, necnon omnis arena minuta ac spissa, lapidesque arenarii super arduis montibus, in profundis vallibus, in terræ visceribus, in stagnis atque fluminibus, omnis denique ad maris ripas saburra, nulla omninò excepta, quantumvis nullum adhuc colorem biberint, & verò maximè candidi, clari limpidique existant. Quod quidem plerisque videbitur incredibile, veruntamen à me *Veritate* tali sincera asseveratur, qualem ego neque ulla lectione neque ulla auditione accepi, sed multis variisque experimentis probatam comperi, quemadmodum ego hîc illorum nonnulla pro confirmanda ac demonstranda scriptorum meorum veritate ita subnectam, ut ex illis omnes sanæ mentis compotes cernere queant, Assertionem meam non esse somnium nec fabulosum nugamentum, sed constare *Experientiâ* in *Natura* *Lumine* satis fundata. Quapropter noli quæso judicare de illis quæ non intelligis, neque hoc ipso temporis vestigio capis, sed reminiscere,
Mira-

Miracula Dei triumphare magnificentia ac potentia. Proba omnibusque vestigiis indaga, antequam judicium immaturum interponere præsumas. Et licet inter probandum, prout periclitanti facile contingere potest, fallaris, noli tamen erratum tuum meis scriptis, sed tuo potius inhabili ingenio imputare. Ego namque hic nihil aliud scribam, nisi quod sæpe numero præstiti atque etiamnum quavis hora præstare possum. Consule super hac re indagatores alios, ex quibus non omnes putârim erraturos fore in labore adeò facili, ut ipsum vel puer decennis capiat, quantum ad possibilitatem attinet, sed plerisque illorum mecum constabit; per omnia Mundi loca in quavis arena lapidibusque Aurum inesse. Ut autem huc adscribam Modum extrahendi ex illis Aurum in solidum seu in quantitate majore, cum usu largo, nullus adducar, sed potius cavebo, ne adversariis meis telum acutum, quo me oppugnent, in manus tradam. At enim amicis candidis minimèque fucosis est hoc gratificandi gratiâ publicatum, libellorum autem famosorum fabris nequaquam. In qua sententia constabo & acquiescam.

Progrediamur jam ad Specimina
 Probationum, Num perscripta hîc à Me
 Veritate nitantur atque sustineant Cu-
 pellæ examen, nempe *in omni Arena*
inesse probum Aurum.

Primum Specimen Probationis.

℞. ʒj.  Renæ albæ vel silicis cui nullum
 omninò aurum inesse autumas.
 Quibus admisce 3. partes Minii
 sive alterius alicujus Cineris Sa-
 turni. Hanc Mixturam coopertam pone in fur-
 num anemium aut ad follem, sine ut per horam be-
 nè unà fluat, & abibit in vitrum flavum; effunde,
 nec permitte stare nimio diutius, ut h Vitrum ne
 perforet tigillum & in cineres defluat. Hoc Vitrum
 pulverisâ, eidemque admisce Salis Alkali seu Ci-
 neris Clavellati dimidium pondere; Hanc Mixtu-
 ram in tigillum ferreum immitte, in quod prius
 aliquot vetusti clavi vel frustula ferri indita, esse de-
 bent; dando ignem, fac fluat, & continuò reducetur
 h Vitrum per ʒ & denuò in plumbum redit: effun-
 de in conum fusorium & h Regulus fundum petet
 atque super eo arena vel silex tanquam scoria exi-
 stet. Post infrigidationem h Regulum præcipi-
 ta, qui ex ferro sibi tantum nigredinis asperita-
 tisque attraxerit, ut non facile cupelletur. Cui
 sic remedium invenias: Impone hunc atrum h
 Re-

Regulum in tigillum in fornacem ventosam, fac ut bene fluat ; atque si ejus est zj . superin-
 jice drachmam vel aliquantò plus Salispetræ ,
 atque fac unà fluere, tum halinitrum ex h̄ con-
 trahet asperitatem in scoriam. Quo effuso & h̄
 Regulo à scoriis segregato, existet albus & tra-
 ctabilis, ac facilè Cupella decurrit. Hoc ipsum à
 me vocatur *Lavare*. Quod si huic *Lotioni* nescias
 operam navare, quæ tamen per se constat labo-
 re facili, pone tuum atrum ac asperum h̄ Regu-
 lum in tale tigillum (quale vulgò vocant *Treib-
 scherbe*) sub tegulam, atque sine ita per se spatio
 dimidiæ aut saltem quadrantis horæ defecari, ef-
 funde, separa scorias à Regulo ; qui erit albus at-
 que tractabilis. Lotio autem per Salempetræ mul-
 to præstat. De istiusmodi h̄ Regulo pondera cento-
 nem pondere centonis minoris pariter atque tan-
 tundem illius plumbi, unde confectus est Cinis
 plumbi, pone utrumq; in cupellam dephlegmatam,
 sine decurrere; confer utrumque granum inter se,
 & deprehendes, quod illud h̄, quod cum arena vel
 filice est conflatum, granum auri, è diverso au-
 tem commune h̄ non nisi granum argenti post se
 reliquerit. Quis jam aliter potest asseverare, nisi
 quod granum auri ex alba arena aut filice provene-
 rit? Enimverò ex Salibus Aurum nullum profi-
 cisci potuit. Hoc Probationis specimen est palpa-
 bili argumento, quod omni filice aut arena, cu-
 juscunque sit coloris, Aurum contineatur. Nul-
 lam autem dari differentiam inter arenam ac fili-

A 5

cem,

cem, ita ut in uno non plus auri infit quàm in altero, ego non asseruerim, quippe quoniam alter ab altero insigniter differt. Plus quoque Auri contineri arenâ regionum calidiorum quàm fabulo terrarum frigidiorum, nullatenus addubitandum est, prout faciliè prudentiorum quisque cogitatione colligat. Hoc quippe indicatum Probationis Specimen duntaxat participatum voluimus, ut comperias, in omni totius Mundi arena ac filice Aurum inesse.

Secundam Probationis Specimen.

℞. **P**Artem albi filicis vel arenæ, cui admisce tantidem triplum vel quadruplum de Sale Tartari vel alterius alicujus Alkali, quam Mixturam indas crucibulo, ita tamen ut isthoc ultra tertiam partem ne impleatur, quippe quoniam inter liquefaciendum hæc Mixtura adscenderet atque ex Crucibulo promanaret. Sine per dimidiam horam stare, ut benè candeat, & vertetur in vitrum album pelucidum. Effunde & in Aqua solve, vel potius lixivio; & arena vel filex solventur & in aquam spissam convertentur. In isthac Aqua digere spacio unius aut duarum horarum semiunciam limati seu raspati seu potius minutim rasi plumbi, & plumbum ex aqua filicum extrahet Spirituale Aurum, atque inde flavescet. Quod exemtum ex aqua, exsicca atque cupella, & invenies granulum Auri. Aliam quoque semiunciam ejusdem plumbi cupella, & reperies granu-

granulum argenti, quantum communiter ex quovis plumbo haberi solet. Ex quibus sit certò tibi constabit, quod albi quoque filices atque arena in se Aurum Spirituale contineant, quod cum Metallis evadit Corporale.

Tertium Probationis Specimen.

Dissolve H in V , atque affunde in Solutionem Aquam Salsam, & plumbum omne cadet tanquam pulvis albus ex Aqua: Hujus edulcorati atque exsiccati Psimmythii seu Calcis Saturni, tres partes admisce parti uni arenæ, cui immisce tantidem dimidium de Sale ex lixivio aliove Alkali; quam Mixturam indas in tigillum ferreum, cui antea injecta sunt aliquot frustula ferrea. Quæ cooperta quasi spatio semihoræ plenæ colliquefieri sinas, quoadusque Spiritus Salis acres, quæ plumbo inerant, ad ferrum mortificentur. Tunc namque H reducitur & corporale redditur. Quo in pyramidem infuso, Saturni Regulus fundum petit; quem vel cum Salepetræ, prout suprâ docuimus, lavabis, vel curabis ut super tigillum, quod vulgò vocant Treibscherbe/ subter tegula, fœces exspuat. De quo juxta pondus Probatorium minus pondera unum Centonem, nec non tantundem alterius alicujus vulgaris plumbi, quod cum arena non liquefactum est. Separatim utrimque cupellato, & illud plumbum, quod cum arena fusum est, in Cupella relinquet granulum Auri, alterum

Λ 6

verò

verò plumbum commune non nisi granulum argenti. Quod satis arguit, in quovis sabulo, nullo excepto, inesse Aurum. Omnem autem arenam tantum Auri in se continere, ut utiliter inde extrahi possit, ego non assevero. Quippe alia arena est pauper, alia dives, alia ditior. Quicumque igitur hic utilitati suæ velificari affectat, cognitum antea habeat discrimen arenæ lapidumque, ut inanem ne sumat operam. Id quod facile experiaris, si nimirum prius in quantitate majore nihil nequicquam pericliteris, quàm tyrocinium feceris in quantitate minore. Qualia Specimina Probationis minora sic edi possunt.

*Ratio experiendi seu Modus probandi
omnem silicem, petram ac arenam legitimum ac infallibilem, utrum illis contineatur Auri multum an parum.*

℞. 4. **U**Ncias arenæ, silicum, aliorumve lapidum aut petrarum, quæ probaturus es; candefac ea in crucibulo eademque ita projice candentia in aquam frigidam, ubi tractabiles evadent & nullo negotio minutim pulverisabuntur. His 4. unciiis pulverisatorum silicum, sabuli vel lapidum superfunde in cucurbitula vitrea 2. uncias ☞ ut arena probè humectetur: quam cucurbitulam si arenæ calidæ permiseris superstare quasi spatio semihoræ, Aqua Regia illud ☉ quod sabulone vel silice continetur, in se attrahit. Cui si affundantur

tur 2. uncia aquæ calidæ in cucurbitulam, strenuè agitando commisceantur, atque ex vitro per chartam emporeticam trajiciantur, ∇ cum $\odot$ dimanat per Filtrum, arena verò residet in charta. Cui si etiamnum aliquantulum communis ∇ superfundatur & transmittatur, ∇ hæc $\odot$ residuum, quod hæctenus inhæsit arenæ, plenè extrahit; id quod addendum est primo. Cui si superfundatur Lixivium, sed potius Spiritus Urinæ; Lixivium illud vel Spiritus Urinæ mortificat ∇ , & aurum, quod ei inest, in flavi pulveris formam præcipitatur infundum. De quo aqua effundatur atque $\odot$ cum recenti ∇ edulcoretur & exsiccet, idque cautissimè; quia istiusmodi $\odot$, simul atque satis incalcescit, fulminat ita ut in partes minutas discutiatur, quicquid circumstat. Huic $\odot$ fulminanti si admisceas aliquantulum Sulphuris vulgaris & excandefacias in crucibulo vitreato, non fulminat. Hujusmodi Auri calcem si cum borrace permixtam reducas in tigillo mundo, rectè deprehendis, quantum Auri continuerint in se illæ 4. $\frac{3}{4}$. arenæ vel silicum. NB. Nisi arena vel silices forsitan etiam ferro imprægnatæ fuerint, unde $\odot$ prodit fragile atque pallidum. Eo quippe casu $\odot$ ex ∇ . præcipitatum & cum Sulphure crematum non conflabis cum borrace, quia ferrum extractum etiam unà inter illa funderetur & probationem adulteraret: sed verò ejuscemodi Aurum ferri participans si cum hæ cupellabis, secernetur ferrum ab $\odot$, & examen probatoris erit expers erroris.

NB. Pos-

NB. Possent quidem Arena & filices aliâ viâ probari, sed cum hanc à nobis modò præscriptam comitetur praxis facilis, nos in eadem permanebimus.

Unum autem etiamnum est scitu necessarium, puta hoc: Verum quidem est, in omni arena ac filice Aurum inesse, testibus documentis seu probationibus supra exhibitis; Veruntamen præcognoscatur quoque differentia inter nativum ☉ corporale solidum & inter volatile Spirituale primum Ens Auri. Enimverò Corporale Aurum ope Aquarum corrosivarum vel Salium facillè extrahitur: Spirituale non item. Quod autem semper ☉ corporale beneficio harum supra præscriptarum Probationum eliciatur, inde contingit, quod etiam si in alba arena nullum planè Corporale ☉ inesset, tamen adminiculo commemoratarum Probationum ex illa prolicietur, non quidem multum, sed non plus quàm quantum argenti continebatur plumbo Probationi exposito: quod ☿ inter liquefaciendum ex filice vel fabulo Aurum Spirituale in se attraxit, ita ut inde in ☉ sit tinctum seu transmutatum. Id quod ex eo elucet, quod granulum ☉ non excedat magnitudinē m granuli ☿, quod ex altero vulgari ☿ proleclatum est. Quod si præter ☉ Spirituale in fabulo etiam Corporale insit, necessariò granulum ☉ quantitate superabit granulum ☿. Enimverò argentum, quod plumbo continebatur, in auras non evanescit, sed remanet. Quod autem idem non permanferit argentum, sed abierit in aurum,

rum, adscribatur notabili per arenam Operationi
 Primi Entis Auri seu Auri Spiritualis. Quare qui-
 cunque connititur fructuosâ cum opera Aurum ex
 arena, silice vel petra extrahere, huic antea per
 Experimenta minora certò constare debet; Illis
 præter Spirituale etiam inesse Corporale Aurum.
 Quia propter solum ☉ corporale ex illis extrahen-
 dum ego hunc Libellum conscripsi; Spirituale au-
 tem Philosophis relinquamus, ut ex eo suum sibi
 conflent Lapidem. Quod autem isthæc paucula
 leviter tetigi, Necessitas efflagitavit. Si quis e-
 nim secundum præscriptas meas Probationes in-
 ter laborandum invenisset granulum Auri quanti-
 tatis æqualis cum granulo argenti, illius animo
 surrepere potuisset cogitatio, Quoniam se priori-
 puisset argentum, cum ipse aurum reperisset vice
 argenti. Quapropter ego necessarium duxi, osten-
 dere rationes illius, ut scrupulus injectus cuivis
 ignoranti ex animo eximatur. Quare quicunque ☉
 ex arena lapidibusq; conquirunt, talem sibi eligant
 arenam lapidesque, è qualibus fructuosè ☉ Cor-
 porale extrahi, quo utrum arenâ alba gravem non
 vehit, potest. Tunc enim illa fructum utilitatis ta-
 lem præbebunt, qualem arena alba negabit. Quod
 autem ego ad edenda mea Probationum specimina
 arenam albam capere perdocui, causam facti hanc
 habui, ut unicuique conspiciendum darem, in
 omni quidem arena Aurum inesse, sed non posse
 ex omni fructuosè extrahi. Quippe perquam alba
 arena aut filex sæpe Corporalis, nunquam autem
 Spiri-

Spiritualis Auri expers est, quo auro Argentum in probum Aurum converti valeat. Hanc commotionem ego quidem silentio transmittere potuisssem, quum ea vulgo non sit scitu necessaria, utpote cujus cupiditatem abundè satiet Aurum Corporale ; Philosophus autem ☉ Corporale non curat neque quæritat, sed Spirituale duntaxat ad parandam sibi ex eodem Tincturam. Adde quod sat ipsi sit exploratum, quibus Subjectis Primum Ens Auri largissimè contineatur. Hinc ipse Arenam candidam (etiamsi Primum Ens Auri quoque in ea insit, velut ex Probationibus jam in mediū allatis videre est) non facilè tanget, sed tales lapides potius quæritabit & operationi suæ destinabit, quibus multum Tincturæ continetur. Neque etiam ullus verus Philosophus se ita mancipat huic aut illi Subjecto soli, ut nolit ex ullis aliis elicere Tincturam suam, utpote cui sat constet, quod Primum Ens Auri in rebus omnibus per totum terrarum orbem reperiatur. Ubicunque enim datur Sulphur, ibi quoque habetur Primum Ens Auri, unde Tinctura potest comparari. In omnibus autem Vegetabilibus, Animalibus atque Mineralibus inesse Sulphur, exploratissimum est. Quippe Materia Lapidis Philosophorum se ubique terrarum offert, usque adeò ut eam vel sine impensis non minùs pauperes quàm divites conquirere valeant, juxta vociferationem Philosophorum ; *Materiam suam esse ubique obviam, ac parari citra ullam pecuniam, at pedibus proteri & in sterquilinum abjici.*
Ita

Ita dicunt & scribunt veri Philosophi. Atenim Sophistæ (qui per crimen falsi captant nomen Philosophi, divagantes ab aula ad aulam, ubi suam offerunt operam ad acquirendum Lapidem Philosophorum) credulis Magnatibus per mendaces fabulas persuadent; Materiam Lapidis esse vel in hoc vel illo loco aut monte, putà Hungariæ, Transylvaniæ, Sudeti, sylva Hercynia, sylva Thuringiæ aut Bohemiæ, vel in scopulis Sueciæ aut Norvegiæ alibive inquirendam. Alii contrà credulis reliquis persuadent, Lapidem Philosophorum non nisi ex Auro communi esse conficiendum, & proinde à Meccænatibus seu patronis pecuniosis exigunt Auri non aliquot uncias, sed aliquot libras, ut eò plus in Laborantis commodum cedat. Istiusmodi Pseudophilosophorum unum nuperrimè hoc nostrum vidit Amstelodamum, qui persuadendo mercatores quosdam x x i i. besseb. seu marcis auri emunxit ad perficiendum ex illis Lapidem Philosophorum. Ille quidem pro more suo coram mercatoribus illis Materiam datam vasi imposuit, dando ignem diuturnum. Quum autem multo tempore elapso fructus adaucti demeti deberent, ille, qui se pro Philosopho egerat, se hinc in terram nescio quam clandestinò proripuit ac reverti noluit ad eximendas illas x x i i. marcas auri. Itaque mercatores illi eas exemturi nullas repperunt Aves Solis, sed evacuatum nidamentum. Nidus adhuc loci in hac urbe jacet vacuus, neque quisquam unus est qui sciat illum in usus suos con-

B

ver=

vertere. Quod si impostori mercatores illi duntaxat præ manu 2. aut ad summum 3. uncias auri dedissent, tanto dispendio mulctati non fuissent. Quò verò præcipitantiùs vestibus ipsius holosericis ac lenociniis verborum byssinis crediderunt, eò intolerantius decepti sunt. Verus Philosophus tanto auri ad suam Medicinam non indiget, utpote cui cum suis, si ipse unam saltem semiunciam ad perfectionem perducit, per totam vitam sufficiat, atque sua in manu sit, denuò eandem perficere, quotiescunque necessitas poposcerit, ita uti causam habeat nullam, cur ab uno ad alterum auri avidum procuret, & prænobili Chymix labeculam adspargat, eidemque invidiam totius Mundi conflet. Tali perditorum ac dissolutorum hominum manipulo Magnates non semel fidem habent, idque cumprimis si quando illi honestorum virorum scripta in contemptionem adducunt, falsò pro mendaciis per ora hominum traducunt, libellosque famosos adversus illa componunt ac edunt. Neque etiam istiusmodi injuriæ legitimè judiciis vindicantur, sed tali nebulonum contubernio potius gratias agi, privilegia Nobilitatis conferri atque munus lautum committi videas. Ita amat hodiernus Mundus infatuari talibus applaudens quales famâ viros honestos spoliant, atque apud Magnates sibi inde authoritatem conciliant, dum Veritatem vituperant ac conscelerant, & mendacia architectantur ad concitandum odium magnum in proximum suum apud Mundum credulum, quippe qui neque
Deum

Deum neque homines timent, neque meditantur, quod Deus aliquando in talia ipforum maleficia sit animadversurus, & non tantum prædones honorum ipfos condigno facinoribus supplicio affatim mactaturus, sed ipforum etiam patronis nequam parciturus. Deus est justus, & solet quidem nonnunquam longas moras ac horas interponere, antequam in reos animadvertat, sed quando ad ulciscendum insurgit, tarditatem pœnæ compensat gravitate vindictæ.

Quum ego abhinc aliquot annis scripsissem *de Prosperitate Germaniæ*, atque ex bona Intentione condociissem, *Quomodo Vinum ac Frumentum esset concentrandum, & in casu necessitatis ex regione una in aliam commode transvehendum & in firmissima quæque munimenta recondendum in futurum usum*, verendo, ne forsitan aliquando in ovile Teutonicum (ubi passim universa perquam somniculosè geri videas) rapacissimus Lupus Turcicus subitò irrumpat atque ut minimum jugulet, quicquid ex ovibus secum auferre non potest. In quod Farnerus cum suis complicitibus confectos seu potius confictos Libellos famosos emisit atque Me pro Pseudopropheta passim traduxit. Ejus autem calumniis à me nihil reclamatum est, quippe qui in palatinam Magnatum tutelam se commisit. Deinceps hic Farnerus cum conspiratis famæ prædonibus compluribus honorem meum contumeliosè lædere & traducendo Scripta mea nefariè mendacii arguere: qui tamen universi cum suis Symmachis auxiliaribus ex

Cacodæmonis instinctu omne acerbitatis suæ vir-
tus multis immanium mendaciorum bolis mixtum
in me evomuerunt. Quos ego, quum ipsi ferè
omnes degant in aulis Magnatum & sua suis
chartis dentatis nomina non subscripserint, vicif-
sim quidem tangere nequivi : at tandem tamen
mihi magis magisque tales tenebriones innotue-
runt, quales sua subticuerunt nomina, quibus in-
ter inscribendum chartas suas calumniosas, nobi-
litare potuissent. Tum demum eventus common-
stravit esse vera quæ ego prædixeram eventura fo-
re, nempe à Turcis atque Tartaris Christianos præ-
vos fore olim castigandos. Ubi tamen dolendum
est, quod & melioris notæ homines propter istam
Diaboli cohortem sequiorem communi animad-
versioni illaqueentur atque immoriantur. Certis-
sima quippe Veritas dicat, justum Dei flagellum
à nostris aris ac focis non prius sublatum iri, quàm
à Magistratu in tales atroces famæ prædones ani-
madvertetur. Post hominum memoriam non est
auditum, vel inter ipsos Ethnicos ac Saracenos ef-
se talia Viperarum genimina Diabolicosque men-
daciorum Spiritus toleratos, quales, cheu ! penes
illos, qui amant nominari Christiani, ita toleran-
tur, proteguntur atque aluntur.

Omnis vir honestus, si quid sibi negotii cum
quopiam est, transigit illud in propatulo ita ut eum
sui nominis actionisque neutiquam pudeat : Fa-
mæ autem prædo plerumque nomen suum abne-
gat, & quicquid mendaciorum in buccam venit,
debla-

deblaterat vacuus omni Timore Dei hominum-
que. Id quod Magistratui Politico non erat feren-
dum. Tanta quippe licentia glifcente ne maximæ
quidem autoritatis homo erit in mundo tutus à
Theoninis Diabolicorum istiusmodi calumniato-
rum dentibus. Quod quum Magnates ipsi nemi-
nem talium famæ prædonum malè formident, sed
fuis longis freti manibus se ab illorum calumniis
securos præstent; connivendo, malum permit-
tunt, cui remedium invenire nullo negotio pote-
rant. Hinc passim sunt qui Veritatem persequun-
tur & tantum non opprimunt. Atenim Deus qui
justus est, impiis non adulabitur, sed suo tempore
extendet dextram justitiæ ad puniendum citra ul-
lam *προσωποληψίαν* persecutores veritatis: Cui
Deo meo ego quoque ultionem committo atque
commendo, quippe qui non prætermittet seu ne-
gliget opportunum tempus tuendi suos ac punien-
di maleficos. Hunc Discursum de impiis Libello-
rum Famosorum autoribus Diabolicisque famæ
prædonibus hîc exaravi verbosiores quàm ferebat
voluntatis institutum. Itaque proximè, Deo vo-
lente, de hujusmodi Hypothesi alibi agetur fu-
tius.

Revertamur jam ad propositum, demonstratu-
ri, quod non tantum ☉, sed etiam rarius quid,
nimirum vera Tinctura in lapidibus sit recondita,
atque Arte obstetricante ex illis extrahi possit,
quod Antiqui his verbis innuerunt:

Auro quid melius? Jaspis &c.

B 3

Quod

Quod autem multum Tincturæ sit in Jaspide reconditum, jamdudum in aliis Scriptorum meorum locis inculcavi. Paracelsus impensè commendat *rubrum Talcum, Granatos, Antimonium & lapidem Lazuli*, addendo, ex illis *Tincturas* seu *Primum Ens Auri* posse beneficio Sublimationis elici. Porro habeto, Primum Ens Auri etiam in multis lapillis aliis reperiri posse, puta cumprimis in Hæmatite, Scythide, Magnesia Pedemontana, Smiride, & id genus aliis, in quibus illud est ita fixum, ut potiturus eo indigeat nihilo nisi disciplina Extrahendi & præbendi ei Ingressum per ☉. Ex contrario Primum Ens Auri quidem in Vegetabili, Animal ac Minerali Sulphure, Marcasitis & Antimonio habetur abundè, sed ita volatile, ut illi sint anteferendi Lapilli.

Quanquam autem mea hujus Libelli sententia sese ulterius non protendat nisi usque ad Extractionem Auri ex lapidibus, sabulo ac filicibus, nihil tamen prohibet, quominus ego insimul quoque paucis ostensum velim, in lapidibus non modò ☉ fixum, verum etiam volatile inesse, unde Tinctura vera perfici possit. Quam ego Tincturam quidem nondum unquam confeci, sed certò tamen persuasum habeo, illud esse factu neutiquam impossibile. Quicumque enim Primum Ens Auri in lapidibus potest reddere volatile, illudque per Destillationem ex illis prolectare, ille continuo nanciscitur Aquam gradat oriam, quâ quemvis ☿ currentem in bonum ☉ coagulare valeat. Qui autem

tem

tem volatili huic Primo Enti Auri callet ☉ corporeale maritare, & coadunare, vel Ingressum procurare, ille longè plus boni inde sperare ac expectare poterit. Enimverò Primum Ens Auri est conducibilis Tincturis parandis quam Aurum Corporale ipsum, prout non nemo Philosophorum significavit verbis sequentibus : *Aurum & Argentum non faciunt, nisi ipsorum Primum Ens effecerit.* Primum Ens Auri quod in omnibus Vegetabilibus atque Animalibus est reconditum coagulat quidem Mercurium etiam in flavedinem, at non constantem; si autem fuerit fixatum, figit quoque atque coagulat constanter, antea verò non item. Manet itaque certissimè verum, quod ubi datur Sulphur; ibi etiam detur Primum Ens Auri; & quod ubi datur Primum Ens Auri, ibi quoque detur Tinctura. Quum igitur Sulphur reperiatur in cunctis Mundi rebus, usque ad minimam herbulam, consequitur, quod etiam ex quavis herbula, ligno pusillo, lapillo aut officulo vera Tinctura parari possit. Quicumque vult credere, credat; mea parum refert, utrum credatur, necne. Egomet mihi satisfactum reor, dum Lumen adeptum non sub modium abstrusi, sed illud Mundo præluces pro informatione exhibui. Lumen quippe nihil illi conducit, qui cæcus est & cæcus manere præsumit. Plura invenias in mea Centuria Tertia nec non Sexta Parte Pharmacopœiæ Spagyricæ.

Quomodo cognoscenda sit arena, silices, & consimiles Auri prægnañtes Lapides, utruñ illis contineatur Auri multum, an verò parum.

Arena alba filix & continetur omnium minimum Auri; quæ quidem arena nunquam est expers Auri, etiamsi illud ex ea fructuosè extrahi nequeat. In flava necnon rubella inest plus ☉ quàm in alba, veruntamen non semper tantum, ut impensis solvendis respondeat. Flavâ, fusca & nigra communiter multum ☉ continetur, sicubi per albam vel flavam arenam instar venarum transmittuntur ductuum ritu, & cum primis si quando talis arena rutilat scatens parvis scintillulis ☉ & altera alteri arctè cohæret. Consimiliter hæc arena est dives auro quæ est talco æmula, aut quando in ea reperiuntur lapides, quibus rubidum vel fuscum Talcum inest, quemadmodum ferè omni Talco ☉ continetur, attamen uno plus, altero minus.

Omnes silices, vel lapides amnenses vulgò *Wackensteine* (qui licet externè appareant albi, tamen posteaquam fuerint candefacti ac fracti, ☉ flavedine infectum in se continent) sat divites ☉ sunt extrahendo.

Virides, flavi vel cærulei lapides instar cornuum transparentes vulgò *Hornsteine* etiam sunt plerumque auro fœcundi. Item omnibus rubeis, fuscis & atris silicibus semper ☉ continetur, cui plerumque

que ferrum est admixtum, quod in Extractione cum ☉ extrahitur & Menstruum labefacit inutileque reddit,

Omnes Quarzæ, vel etiam petrz, sive inveniuntur in terra more ductuum, sive jaceant in propatulo, quando coloratz sunt, continent in se Aurum. Omnis hæmatites, eidemque affinis Smiris, Granatus & Lapis Lazuli Aurum in se continent, attamen semper unus plus altero, ita ut ex illis nonnulli gaudeant auro multo.

Omnes granati in se continent Aurum, & præter Aurum etiam Primum Ens Auri; Veruntamen Corpore præditi sunt adeò duro, ut Aquæ fortes in illos vires suas exercere nequeant. Atqui remedium potest inveniri, cujus ope fiat Extractio.

In omnibus Amphitanis, Sapphis, Rubinis, Amethystis ac Hyacinthis inest Primum Ens Auri, sed difficile extractu. Omnes fluores (qui adhibentur ad fodinas ☉ & ☽ ad reducendas mineras in fluorem, sive sint violacei, sive purpurei, flavi, rubri aut viridis coloris) præditi sunt volatili ☉ immaturo. Quos si candefeceris, color instar fumi viridis, flavi aut rubei evaporat & lapidibus candor niveus inducitur. Siquis istiusmodi ☉ fugax sciat intercipere, potest eo ☿ coagulare in Aurum.

Consimiliter ex ejusmodi lapidibus omnibus, in quibus habetur Primum Ens Auri, Destillationis adminiculo Aqua viridis extrahi potest, in qua Aqua sese ☿ in ☉ coagulat. Istiusmodi Aquam viridem præci Philosophi suum nominârunt *Viridem*

dem Leonem, qui Solem devorat atque Tincturam ad $\mathfrak{D}$ & $\mathfrak{X}$ ex eo parat.

De hac Materia ego quidem aliquantò ulterius dicerem, sed propter avaritiam & improbitatem hominum, qui nihil nisi proximi dispendium quærunt, reprimam me. Quia certò scio, quod ferè illi universi, qui Alchymix operam dant, ei in nulum alium finem invigilant, nisi ut eâ sibi ingentes Thesauros acquirant, quibus eò impensius superbiam suam alere & præ aliis pompam suam Mundo ostentare possint. Tales Diaboli filii sunt indigni, quibus vel minimum communicetur. Quippe mala est ipsorum Intentio & piis noxia. Quocirca Deus etiam hujusmodi malignis hominibus nihil largitur, sed indulget eos per tenebras oberrare. Hinc illi omnes, quibus Dei gratiâ Lux aliqua oritur, sibi accuratè caveant, ut inde nihil omninò communicent cum quopiam malignorum, etiamsi induant vel speciem Angeli. Nusquam enim jam inter homines tuta est Fides, juxta attestantia hæc Alphabeti Aurei Verba:

*Soli Deo tu confidas
Promissis hominum diffidas,
Deus solus Fidem servat,
A Mundo Fides exulat.*

Id quod tam verum est quàm quodque verissimum. Enimverò Mundus malignus, quotiescunque cuiuspiam rerum tuarum consequendæ inhiant, blandissimè verba dant atque assimulant, perinde ac si rem participandam essent in Dei honorem ac afflictorum

etorum opem & levamen collaturi. Atqui Bono participato, magis magisque superbiunt, quæstum eo faciunt, & Artem aliis Auri avaris superbisque Diabolis precio vendunt atque ita Arcana turpiter prostituunt. Quamobrem sibi quisque caveat ab superbis ac Auri avaris. Nunquam enim boni quicquam inest Superbiæ, quippe quæ à Diabolo prodiit & ad eundem redit. Quare præcaveas, ut gravissimam Dei maledictionem in te ne derives. Ego hîc jam verba facio de impiis, quibus nihil fidendum, nullus autem dixerim, non dari aliquibi in Mundo viros probos; sed verò tales boni tam rari, ut vel cum accensa lucerna vix unum in multis reperiatis. Hinc ego propediem publicabo Tractatiunculam de malignis hominibus, quo nimirum modo ex forma ac signatura externa cognoscantur eorum virtutes ac vitia. Si abhinc aliquammultis annis illa ego habuissem cognita ac perspecta, quæ mihi jam demum innotuerunt, multum eadem mihi profuissent ad cavendum mihi à simulata impostorum sanctitate. Atenim piscator ictus sapit. Sufficiant hæc hac vice dicta de cognitione Arenæ ac Lapidum: sibimet quisque ipsi prospiciat, plura addiscat & quærat. Nemini Ignaviæ alumno fas est pultem coquere & in os ingerere. Nemini namque columba assa in buccam involabit, sed necesse est, ut esurus illam ipse capiat, deplumet & veru figat. Si quis boni quicquam ex his adinvenit, agat Deo gratias & pauperum rationem habeat, sin minus, cogitationem hanc

B 6

animo

animo volutet, se esse participato indignum. Enimverò ego hîc tam perspicuè perscripsi, quàm hactenus nullus ante me Philosophus. Quapropter circa hæc subsisto. Superest ut nonnihil dicamus de via faciliore & incomparabili illa Inventionē, cujus beneficio ☉ ex arena ac lapidibus in copia cum notabili emolumento extrahi possit. Qualis Inventio hactenus Mundo fuit incognita, & fere impossibile est, inveniri posse aliam hac faciliorem. Ut autem Artis indagator videat, hanc viam à me recens inventam esse omnium facillimam ad extrahendum ☉ ex arena ac silicibus, quali similis nondum unquam fuit Mundo cognita, consultum duxerim aperire, in quo consistat hoc compendium, idque sic.

Sat notorium est, quàm sumptuosè ac operosè antiqui Operarii Metallici ☉ ex Vena, arena ac lapidibus extraxerint & in hodiernum diem usque extrahant, videlicet dum primum mineras vel lapides urunt, deinde in peculiaribus molis in eum usum accommodatis molunt cum argento vivo & aqua, ubi hydrargyrum ad se trahit aurum & lapis inter lavandum diffluit, sed plurimum hydrargyri ab ☉ per corium exprimitur, ita ut consimili possit inservire usui. Globulos in ferreis Retortis candefaciunt, atque ita sibi retinent residuum argentum vivum, quod ☉ adhuc inerat; quod fundunt, in qua operatione multum argenti vivi perdunt, quòd inter molendum cum aqua abluentium diffluit: ita ut non rarò dispendium ☿ sit
non

non minus quàm lucrum ☉. Hac itaque via ex nulla minera depauperata quicquam extrahere possunt. Hæc in Operibus Metallicis est facillima ipsorum via separandi ☉ à minera & lapidibus.

Altera via est, quando minera lota, quæ vulgò vocatur *Schlicht*/ cum pondere Lithargyri vel minere miscent, & ad follem igniarium fundunt, ☿ regulum cupellant, tunc ☉, quod in minera inerat, inveniunt. Quod quidem Liquefaciendi genus etiam magno constat, quippe quo multum ☿ perit : veruntamen hanc viam sectari tenentur, quibus proximior nondum cognita est ulla. Huic autem ego oppositurus sum meam, ut conspiciatur, Quænam earum sit facillima & utilissima. Quod meam Methodum extrahendi attinet, circa illam deprehendes potissimum IV. Compendia singularia, quibus operatio redditur levior. Quorum

Primum est Aqua parvæ impensæ, quæ sine Destillatione copiosè parari potest.

Secundum est Metallum singulare, unde conficiuntur athena, in quibus lapides vel arena cum illa parvi impendii aqua coquuntur, non tamen roduntur neque consumuntur. Et si quando Aqua in arena ☉ dissolverit ac imbiberit, haurias mineram, arenam vel lapides cum aqua ex atheno in quandam cupam huic usui aptam cum fundo foraminoso & storea superimposita, tunc aqua dimanabit per arenam & stoream in vas aliud; deinde re-affundatur dictæ arenæ etiamnum plus aquæ calidæ
atque

atque finatur quoque perfluere, tunc hæc aqua illud ☉ quod adhuc arenæ adhæsit, quoque extrahit. Post elixivationem autem arena, quæ jam est nulli usui, ex cupa eximitur, & labor hic tantisper continuatur, dum nulla amplius arena extrahi potest.

Tertium compendium est hoc, quando Lixivium Auri ad justam quantitatem est collectum, in solutionem Auri effunditur singularis Aqua parvæ impensæ, unde omne ☉ ex Solvente præcipitatur, Solvens per inclinationem à calce ☉ decantatur, & ad consimilem extractionem rursus adhiberi potest, cum vim suam semper retineat, utpote cui præcipitatio nihil prorsus officiat. Potest itaque continuè longo tempore nobis hoc Solvens esse usui. Quod autem inter profundendum disperditur, est parvi dispendii, quod dispendii potest alia consimili Aqua compensari. Si quis autem illud Dissolvens lixivii aliisque contrariis mortificare atque inde ☉ præcipitare vellèt, prout aliàs fieri solet & à me supra circa probandam Arenam docetur, quantum jacturæ pateremur, si singulis vicibus nos nostrum Solvens destrueremus? Præterea talis Extractio foret impensè sumptuosa ac operosa, si quando fieret in vitris aut fictilibus cucurbitis. Hic autem ea nobis ferè stat nihilo, cum nimirum talis operatio possit in ahenis majoribus perfici & ☉ sine Aquæ jactura inde præcipitari. Atque hæc Extractio Auri assimilatur Extractioni Salispetræ ex terra, ubi simulatque operarii partem

terræ

terræ unam ope aquæ elixiviârunt, elixiviatam terram abjiciunt, illiusque vice aliam in cupam injiciunt, quam quoque elixiviant, idque tantisper dum omnem suam terram Salepetræ imprægnatam elixiviarunt. Nos quippe tali ratione nostrum ☉ ex arena elicimus, quali Coctores illi suum halinitrum conficiunt.

Quartum Compendium est hoc, quod præcipitata Calx Auri, posteaquam Aqua per faccum filtrationis ab ea dimanavit, eximatur & siccetur, atque beneficio singularis cujusdam boni & quidem minimè sumptuosi Fluxus reducatur, ut ex ☉ inter fundendum nihil decedat ac pereat.

In his IV. Compendiis consistit seu acquiescit totum Opus Extractionis nostræ, veluti domus aliqua fulcitur IV. Columnis, quarum una deficiente, structura tota non consisteret, sed corrueret. Cui hæc IV. Compendia sunt cognita, ille audacter arenam ac lapides aggrediatur, ut ex illis ☉ extrahat. Tunc enim labor præbebit fructum utilitatis, aliàs non item, id quod pro informatione sui sibi quisque dictum putet.

Quod autem ego ex illis 4. Compendiis nullum patefecerim, nemo miretur. Quippe satis me læsit calumniosa vitilitigatorum ultrina. Enimverò ubi ipsimet illa quæ ego sat dilucidè præscripseram, intelligere præ ingenio inhabili nesciverunt perficere, falsò per vulgus traduxerunt, Scripta mea scatere mendaciis. Alii quidem Veritatem oculis suis viderunt, post tamen præ odio ac invidiâ contem-

temserunt. Verumenimverò, nondum omnium dierum Sol occidit, & quod differtur, non aufer-
tur. An verò nescitis, boni cauponis esse, ad tem-
pus tacere & tandem aliquandò compotoribus ra-
tionum subductarum summam insinuare, quâ ju-
bentur, ut suam suisque solvat symposii symbo-
lam? Etenim quinam tales famæ prædones fue-
rint, mihi illicò constare non potuit, cum ipsimet
nomina sua suis Libellis famosis non subscripserint;
Jam verò factus ego de illis certior sum. Itaque si
mihi etiamnum Deus aliquandiu vitam prorogârit,
nihil prætermittam, quin talium famæ prædonum
ad unum omnium nomina simul ac patrata adver-
sus me facinora Diabolica & Christiano prorsus in-
digna faciam nota, ut totus Mundus videat, quibus
Cacodæmon abusus fuerit organis ad oppugnan-
dam Veritatem manifestam. Unus famæ prædo in-
quit: Quid quæso mihi inde creabitur periculi,
etiamsi ego mendacia magna in Glauberum evo-
mam? Ego confido meis in Aula Patronis, qui
autoritate suâ me ab illo sat tutum securumque
præstabunt. Alter confabulatur: Magnatibus tam
longæ sunt manus, ut illis possint Glauberum fa-
cilè capere, si quando adversum me quicquam mo-
liri præsumpserit. Tertius, quartus, & quintus
& reliqui quoque tali vano ac caduco gaudent bra-
chio. Ego Glauberus autem, qui noxiis vacuus
à Diaboli progenie & Mundi filice ubique loco-
rum infestor, propterea non expavescō vel quaf-
cunque allatrantium persecutiones, utpote qui
quo-

quoque meum mihi habeam Propugnatorem, nempe Deum Opt. Max. qui est ipsa Veritas, & in cuius manu est vel momento omnem Veritatis persecutorem cum suo Meccænate ac Defensore mendaciorum in abyssum inferni deturbare. Enimverò Deus est talis *προσωπολήτης*, ut ipse pari supplicio in patronum juxta atque in ipsum reum animadvertere soleat. Id quod universis vobis famæ prædonibus erat probè observandum, ut emendàmini. Propè enim adest quum vos divinam vindictam sentietis, quæ vos tam graviter tanget atque anget ut nihil supra. Deus enim potest omnem gastrimargum tumidum ac faccum Vermium olidum ceu impietatis nefariæ patronum derepentè è medio tollere & in tenebras exteriores Phlegethontæis Viperis, bufonibus ac serpentibus consumendum objicere. Notum est quemadmodum Deus Psalm. 50. interpellat talia gehennæ genimina singulatim :

*Non te profanis labiis istis pudet,
 Queis spernis omnes minas.
 Rapacibus tu furibus, tu adulteris
 Socius coheres turpibus.
 Tu maledicorum primus; omnis Tu doli
 Fraudisque callidus artifex;
 Detrahere cuiusvis ludus ac jocus, non Tibi
 Nec parcis ipsis fratribus.
 Hoc Te tot annos qui patrantem pertuli;
 Tu me Tui similem putas.*

C

Immò

*Immò severus ecce te coarguam ,
 Sceleraque detegam tua.
 Hæc annotato summi, Stulte, Numinis
 Tu quisquis oblivisceris ,
 Ne forte, rapidâ ubi Te manu comprehendo,
 Te nemo prorsus eruat.*

Cui consentanea sunt quibus quemque eorum alloquitur Psalmus § 2.

§. 1. *Improbe , quid insolescis ?
 Scelere quid intumesces ?
 Namque firmus permānet
 Usque Numinis favor.*

§. 2. *Noctes diesque linguam
 Acuis dolos in omnes
 Instar ut novacula ,
 Inscientem vulneres.*

§. 3. *Sceleris amator omnis ,
 Virtutis osor omnis ,
 Falsa cuncta comprobas ,
 Vera cuncta rejicis.*

§. 4. *At Tu, Miser, vicissim
 Dei manu peribis ,
 Ipsa nam Te destruet ,
 Eruetque funditus.*

§. 5. *Hic Te tuo latentem
 Umbraculo revellet :
 Teque totum, Pessime ,
 Subruet radicitus.*

Vos, holophantæ nequam, falsò traducitis viros honestos, ipsos esse impostores; cum tamen nemo homi-

hominum hominibus fraudulentius imponat quàm vosmetipsi. Vos Principes ac Magnates confectamini precibusque sollicitatis, ut vobis detur copia perficiendi Lapidem Philosophorum, cùm tamen nihil magis ignoretis, quàm quid Lapis Philosophorum sit. Quod si perstatis in vestra sententia, vos non ignorare Artem conflandi illum; Quidni igitur vos eundem Dominis Vestris, qui Palatinis suis vos alunt iusculis ac ferculis per tot jam annos, primo quoque die maturatis, ut comperiant, vestram indolem esse ab omni fraude alienam? Atenim si forte aliquando ventulus aliquis nebulam nubilam ab oculis Patronorum vestrorum diffaret, ut in vestras introspicerent fallacias, nullus dubitârim, quin omnes vestræ artes adulandi, supparasitandi gratiamque aucupandi sint vitium facturæ & vobis hostimentum ob diabolicam veritatis persecutionem nullum aliud expectandum in hoc seculo quàm infamia atque ludibria coram piis ac honestis quibusvis Veritatis amicis, in altero verò supplicia æterna. Ego verò, quamdiu vitam hanc incoluero, juxta serium Dei edictum, proximis meis meo *ἐπαυόθεν* accepto Talento inservire atque Ignorantibus Magnalia Dei tanquam fulgentissimum Lumen vel invitis iratisque quibusvis Veritatis hostibus in medium proponere animum induxi. Ecquid enim illi conspirati omnes, etiamsi me vel vivum absorberent totum, deglutirent nisi macilentam terræ massulam? Interim tamen Glauberus foret ac maneret Glauberus, usque ad consumma-

tionem sæculi. Quod si ipsi essent homines antiquâ virtute ac fide, utique Proximum suum immerentem non ita malignè detrectarent, sed pro libellis famosis quippiam eximii publicarent, quod ex usu Reip. esset. Sedenim cum ipsi nihil boni sciant, nihil boni habeant; nihil præter mendacia immania comminiscuntur, quæ in viros honestos evomunt: unde olim sortientur pretium operâ dignum. Sufficiant hæc hac vice à me *de extrahendo ex Lapidibus, Arena ac Silicibus auro* exarata: nullus dubitârim quin ea futura sint ex usu multorum indigorum. Licet enim isti Extractioni omnes homines operam darent, eorum tamen alter alteri nevitquam incommodaret, cum arena & lapides ubi-vis gentium nemini non sint obvia. Quinetiam Sallia ad extrahendum tam copiosè subministrantur, ut nihil adeò desit nisi Philoponus qui operi operando manum admoveat. Cæterum non nemo hic objecturus dicat: Ego quidem Glaubero satis credo, quod in arena & lapidibus Indiæ Orientalis & Occidentalis, Africæ, Hispaniæ, Italiæ, Galliæ aliarumque regionum calidiorum reperiatur multum auri, quotusquisque autem eò commigrabit illud extracturus? Cui respondeo: Nihil est quod quisquam hinc in Africam & utramque Indiam transmigret, allaturus inde ad nos aurum, cum illud sufficienter habeatur in Europa, & reperiatur vel in frigidissimis quibusque locis. Notorium est, quod in plerisque Germaniæ oris bonum ☉ ex arena tam parvorum rivorum quàm magnorum fluviorum
& sta-

& stagnorum lavando eliciatur. Quod autem in Germania temperata non habeatur plus auri quàm in frigida Norvegia & Suecia, & minus in Germania quàm in Gallia & Hispania, ego non eo inficias. Atenim quid commercii nobis est cum ficiente Africa & America, usqueadeò uti cum maximo corporis animæque periculo nos inde Aurum conquiramus, cum nos illo in Europa & in sua quisque patriâ circumfluamus. Enimverò illud non tantum in imis terræ venis latet, unde magna cum molestia, impensa & operâ effodiendum est; sed passim etiam supra terram patet, ubi multò largius faciliusque acquiritur. Videatur quid famigeratissimus ille Philosophorum Monarcha Paracelsus in suo Libro Vexationum Alchymist. dicat, nempe:

Quod plus ☉ & ☿ inveniatur supra terram, quàm in profundis ejus; & quod sæpicule rusticus vaccam petat lapide qui valore superet precium vaccæ. Id quod quidem certissimè verum est: quicumque tamen cum Glaubero idem non vult credere, maneat incredulus cum famæ prædonibus. Quodcunque est verum, erit manebitque verum; Mendacium autem nunquam in Veritatem degenerabit, sed suo olim tempore cum Diabolo ceu omnis Mendacii patre, origine ac scaturigine gravissimas pœnas inter æternas tenebras dabit. Memoriae proditum est, Philosophum Democritum continenter vanitatem Mundi ac fatuitatem actuum generis humani irrississe, Heraclitum verò istiusmodi deflevisse. Procul dubio illius Risus & hujus Fletus inde ortus est,

C 3

quod

quod contemplati sunt , plerosque mortalium præ
 sacra Auri fame cum ingenti zelo , molestia ac la-
 bore, necnon cum corporis & animæ dispendio va-
 stum Oceanum trajicere & in profunda terræ se
 proruere, ut inde acquirant ☉ & ☽, quod tamen
 ubivis regionum supra terram tam affluenter repe-
 nitur , ut vel cuivis *avēpuei* sufficiat. Non igitur
 immeritò hominum imprudentiam Democritus
 risit & Heraclitus flevit. Cur autem neuter illo-
 rum unquam stylo censorio stultitiam mortalium
 perstrinxerit , rationes sat momentosas alterutri
 non defuisse, facilè crediderim.

Citra dubium omne Naturam Lapidum cogni-
 tam habuit Democritus, quippe qui singularem
 de illis Tractatum conscripsit, cujus quidem inspi-
 ciendi facultas mihi nondum fuit data, attamen
 Georgio Agricolæ quadantenus credo, quem
 legi *de Natura Fossilium* scribentem, ubi Demo-
 critum à me allegatum allegat.

Non ab re Salomon scripsit : *In Herbis, Verbis
 & Lapidibus magna est Virtus.* Quod idem vero esse
 consentaneum, ego annorum superiorum c I O
 I O C L X I I I. in peculiari quadam Tractatiun-
 eula demonstravi. Quod enim in Lapidibus est
 fixum, in Herbis etiamnum est volatile, etiamsi
 Primum Ens Auri, unde ☉ confici potest, utrius-
 que insit. Apud Esdram legimus hæc verba : *Da-
 tur mulcum terræ, de qua fit fictile, sed parum pulve-
 ris, de quo fit Aurum.* Quæ verba communiter sic
 interpretantur, quod per Voculas *Pulveris de quo
 fit*

fit *Aurum*, intellexerit scriptor Lapidem Philosophorum. Id quod veritati est maximè consentaneum. Tametsi autem nullæ reperiantur terræ expertes Metallorum, terræ tamen omnes non sunt tam divites, ut Extractionis pretium inde lucrificias. Econtrà omnes lapides & arena (licet singulis illorum non tam largum ☉ corporale contineatur, ut cum utilitate inde extrahi possit) gaudent Primo Ente Auri seu tali Calce, cujus beneficio Aurum confici potest. Quem pulverem si nos ex illis extrahere nōsemus, nos illum meritò pluris faceremus quàm ☉ ipsum. Quod quum talis Calx Aurifica in lapidibus vel arena longè latèque diffusa sit, & non continuò malleis inde excuti possit, sola Arte extrahatur, idcirco occæcata ☉ avarorum turba nolunt cum ignorantibus credere, qui id perficere nesciunt. Hinc istiusmodi Ars à Philosophis semper in Arcanis Arcanorum fuit habita. Paracelsus ubi de Primo Ente Auri verba facit, ait; Possè illam beneficio Sublimationis elici. Basilii scribit; Præparationem Tincturæ universalis comparari Distillationi Spiritus ardentis ex fecibus vini. Hem comparisonem satis perspicuam! Quemadmodum enim in magna quantitate fecis vini vel cerevisiæ duntaxat pauxillum boni Spiritus reconditum est, & verò residuum non est nisi limus inutilis: Veruntamen pauculus ille Spiritus ope distillationis cum fructu ex magna quantitate limi inutilis semper cum fructu extrahitur, & in angustum ceu penetrantem Spiritum perquam

subtilem concentratur, cujus vel unum cochlear
pluris aestimatur quàm tota situla fecibus plena.
Tali pacto volunt Philosophi, ut nos illud in lapi-
dibus ac arena perquam longè dispersum Primum
Ens Auri seu Formam Auri per Artem extraha-
mus & in angustum concentremus, cujus vel tan-
tulum quantulum ad pisæ magnitudinem accedit,
majore precio valet quam mons ingens terra inu-
tili totus constans. Porro neque hoc celare volui,
quod per totam Germaniam ad flumina reperian-
tur Lapides, qui omninò sic satis divites ☉ & ☽
sunt; & præterea, si illos comminueris, Intrin-
secus reperies parva foramina ac cavernulas, quæ
flavo vel fusco scatent pulvere, quem si quis effo-
derit & unà cum Borrace fuderit, argenteum ☉
acquiret. Ego verò nondum quenquam morta-
lium vidi, qui lapides ejusmodi, multo minus Cal-
cem auriferam in ipsis occultam, cognoverit.
Quod ipsum sine dubio ideò ab illis prætermis-
sum est, quod ipsorum incuria non amaverit cognosce-
re Magnalia Dei Physica. Ego lapides multos his
assimiles reperi in montibus arenariis ad Ultraje-
ctum & Arenacum hujus Belgicæ nationis, com-
plures autem ad litora Rheni & Isalæ, necnon ma-
ris Australis, quemadmodum ego aliquot talium
lapidum adhuc loci in promptu habeo atque asser-
vo. In Velaviæ quoque asperæ tesquis reperias
multum arenæ & lapidum, qui Aurum Corporale
in se continent. Nemo autem quisquam est qui
cognoscat & rationem eorum habeat. Potissimum
verò

verò ex usu filiorum foret, ut à parentibus in tempore collocarentur ac traderentur in tabernam vel officinam cujusdam opificis, vel artificis à quo discerent, unde in casu necessitatis quovis vitam tolerarent. Pecuniosi autem suis freti fortunis, opinantur, suas suis liberis opes affatim suffecturas esse. Atenim si fortasse talis adversorum casuum unus atque alter inciderint, ut vel ædes ablactæ conflagrent, vel merces preciosæ à prædatoriis pyratarum navibus avehantur, vel naves vis tempestatis afflictae deprimat, vel obæratī debitores evadant decoctores aufugientes, tunc quò se vertant, nesciunt; & quoniam nihil artium condiderunt, unde victum quærissent, vulgò in desperatæ vitæ homines degenerant. Unus quippe relicta post se conjuge liberisq; abit cum navigantibus in Indiam, ubi non pauci evaserunt pabulum vel ferarum vel anthropophagorum. Alter parva stipe menstrua liberum suum caput vendit militaturis terra marique, quoadusque instar canis rabidi miserè contrucidetur. Cæteri (posteaquam substantiam omnem dilapidârunt, & verò nihil lucrosi sub primordia adolescentiæ suæ didicerunt, unde se cum uxoribus liberisque honestè alere queant) se in vita ærumnosa ac vitiosa tantisper collocant, dum in ea pereant. Quod discrimen omne ipsi subterfugere potuissent, si quid fructuosi olim perdidicissent. Perdidicisse fideliter artes mechanicas, fortunatis quidem temporibus multum juvat; sin autem incidat tempus atrox ac difficile, & complu-

C 5

res

res in civitate quadam unam eandemque artem exerceant, unus non rarò alteri officit ac alimoniam præripit eumque ad incitas redigit. Si quis Medicorum præter Medicinæ professionem quicquam sciret, unde victum lucrari posset, non opus haberet toties ægros gratis invisere inhians pecuniæ, quam ex suis assiduis ad eos accessibus sperat atque exspectat. Neque verò Jurisperitus aliis præter Jurisprudentiam artibus fructuosis instructus necesse haberet Jura turpi precio venundare atque ita sibi sellam in infernum præmittendam fabricare quam olim anima sua occuparet. Neque etiam Theologus (si sciret aliunde sibi acquirere Media Vivendi quàm ex politico Patronorum Ecclesiasticorum fisco) opus haberet ad peccata auditorum regnantia connivere, neu ad illorum gratiam mera placentia prædicare, reformidando, ne deponatur officio; sed citra ullam *προσωποληψίαν* Veritatem libere propugnare, & in vitia taxanda eo, quo par est, zelo invehi posset. Idem habeto de cæteris. Hinc inculcata ingeminatum abeo, quod nimirum germana Hermetica Philosophia ac Medicina, necnon Alchymia naturalis minimèque adulterina est Artium omnium Regina atque permanebit usque ad finem Mundi.

Quum igitur tanti Thesauri, prout audivimus, in terra despecta & passim quorumvis calcantium pedibus subjecta sint reconditi, cur nos non extrahimus illos ad nos honestè alendos & à temporum injuriis defendendos? Quidne relinquimus suam
qui-

quibusque Indis Indiam & permanendo nostram incolimus Europam, ubi abundè suppetunt, quæcunque ad sustentationem nostram faciunt. Non possum quin iterum atque iterum ingenuè dicam, quod ego (si mihi liceret reflorescere eâ ætate, quâ abhinc decennium vigebam) nullus intermitterem, quin in patriæ salutem publicè Veram Philosophiam, Medicinam atque Alchymiam docerem, & oculariter demonstrarem. Cæterum fabulum penè omne ex Clepsammidio dierum vitæ meæ jamdudum effluit usque adeò ut ego hujus rei operosæ curam omnem aliis vegetioribus commissurus abeam. Quodcunque verò boni ego interim salutaribus Scriptis didacticis proximo præstare utiliter potero, nullus prætermittam. Propediem (Deo institutum secundante) à me multa Secreta hæctenus inaudita publicabuntur. Jam nihil restat nisi ut hanc Tractatiunculam terminans quiescam.

SOLI DEO GLORIA.



C 6

S U B-

SUBMONITIO

A D

LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR,



Uæcunque ego in hoc Libello de Auro ex Arena & Lapidibus compendiosè extrahendo conscripsi, tam vera quidem sunt, ut de illis minimè gentium sit dubitandum: Veruntamen posteaquam hæc Tractatiuncula jam sub prælo fuit, Modus alius idemque longè melior mihi in mentem incidit, utpote cujus beneficio Aurum multò expeditius potest extrahi quàm adminiculo prioris. Quia ad operationem viæ hujus novissimæ suscipiendam non opus est ullis alienis ex singulari quodam ære conflatis, sed potest extra ullam coctionem Extractio fieri in copia mediantibus talibus vasis, qualia nusquam non in promptu sunt atque haberi possunt, usque adeò ut vir unus uno die possit nullo negotio potiri
ac

ac gaudere Extractione ex c I o libris arenæ. Quæ sanè Methodus est priori longè anteferenda. Quare facere non possum quin hanc rationem Extrahendi quoque communicem ac notificem. Quid quæris? Si ego animadvertero, plerisque has meas utiles Inventiones fore gratas ac ratas, neutiquam negligam, quin illarum luci edendarum beneficio ego hac præsentî tempestate mala, futuraque pejore publicis patriæ commodis officiosè inserviturus sim. Quibus pauculis Benevolentiam Tuam in divinam tutelam ac præsidium volo commissam. Dabam Amstelodami $\frac{26}{13}$ Julii Anno æræ Christianæ c I o I o c L X I V.

F I N I S.

